



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117875**

§. 47. Saraceni in Italia grassantes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

Sæculum IX.  
A. C. 884.

§. XLVII.

*Saraceni in Italia grassantes.*

*Chro. S.*  
*Vinc. Duch.*  
*tom 3 p 997.*  
*Sup. Lib.*  
*LII. §. 47.*

Interim Saraceni, antiquum malum, inferioris Italiae regiones impune depulabantur. Joanne Papa sedente, foederibus cum Athanasio Episcopo & Duce Neapolitano initis tuti Ditiones Beneventanam, Romanam, Spoletanam, vicinasque Insulas, maxime vero Ecclesias & Monasteria diripiebant. Mos erat Monachis Cassinensibus & S. Vincentii ad Vulturum, ad conservandam charitatem & communem Disciplinam, constituto tempore mutuo se se invisere; igitur quadam die, cum aliqui Fratres ex Monte Cassino ad Monasterium S. Vincentii venissent, subito *Sangdan* Saracenum Dux cum cohorte sua adequitate conspicitur. Cassinenses pavidè in arcem

gatorum Sedis Romanæ allegasset, si ii mandatis, quæ acceperant, obtemperassent, & Joannes Papa Successoresque ejus Acta in Concilio Constantinopolitano confirmassent. Denique Photius vir doctissimus fuit & eruditissimus, sed malus Theologus, & sensum Sacræ Scripturæ de Processione Spiritus Sancti tam parum intellexit, ac de aliis articulis Arius, Zwinglius, Lutherus, Calvinus, Melancthon, quem ultimum aliqui Protestantes, risu & commiseratione digni, Magistrum Germaniæ deprædicant.



arcem vicinam, ad Monasterium suum <sup>Sæculum IX.</sup>  
 pertinentem, diffugiunt. At Monachi <sup>A. C. 884.</sup>  
 S. Vincentii, Thesauro Ecclesiæ abscon-  
 dito, & senibus ad custodiam relictis,  
 cum servis & vasallis strenue Infidelibus  
 occurrunt.

Cum ad pontem, quo Vulturnus ster-  
 nebatur, Monachi pervenissent, Sarace-  
 nos coniectis saxis, armisque, quæ in il-  
 la festinatione, arripere potuerant, a tran-  
 situ prohibuerunt. Sed ecce, agrestium  
 aliqui, pessima mancipia, vecordes e pu-  
 gna se subtrahunt, & Ducem Saraceno-  
 rum adeuntes, ad Monasterium se eum  
 deducturos recipiunt, si modo vitam &  
 libertatem promitteret. Ille multo am-  
 pliora pollicitus, his perfidis ducentibus  
 cum magna copiarum parte ad Mona-  
 sterium contendit. Captum illico in-  
 cendit, senibus illis, qui remanserant,  
 ferro peremptis, quorum sanguine spar-  
 so muri & Ecclesiæ pavementum diu ru-  
 bescere conspecta sunt. Ceteris Mona-  
 chis ad pontem præliantibus & prodi-  
 tionis nefandæ ignaris deditum esse Mo-  
 nasterium ascendentes flammaram glo-  
 bi indicarunt, cumque in eos qui incen-  
 derant conversi pugnarent, undique ho-  
 stibus cinguntur. Illi quidem fortiter  
 se tuentes memorabilem barbarorum  
 stragem ediderunt, sed tandem numero  
 oppressi, paucis fuga elapsis, ceciderunt.

D d d 5

Post



Sæculum IX. Post pugnam Saraceni, locum monstrantibus servis, terram fodiunt, & totum Ecclesiæ thesaurum inveniunt, quo inter se diviso, frumentum & legumina ad alendos monachos comportata in profluentem projiciunt. Ovantes deinde digrediuntur ad epulas, & *Sangdan* Præfectum suum ex calicibus sacris potantem aureis thuribulis venerantur. Monasterii S. Vincentii excidium die Martis decima Octobris anno octingentesimo octogesimo primo evenit. Monachi superstites Capuam confugerunt, ubi Principe & civibus oppitulantibus novum Monasterium S. Vincentio Sacrum condiderunt.

*Chr. Cass.*  
c. 44.

Elapsis exinde annis tribus destructum Monasterium Cassinense. Saraceni, qui ad Lirim sedem fixerant, Monasterium superius, ubi S. Benedictus sepultus fuerat, vastarunt quarta Sept. anno octingentesimo octogesimo quarto. Tum etiam vigesima secunda Octobris magnum Monasterium inferius diripuerunt, & injectis flammis cremarunt. Complures Monachi occisi, & præter alios Bertharius Abbas prope Altare S. Martini trucidatus. Sola Ecclesia Salvatoris, quamvis ignem sæpius iniecissent, illæsa permansit. Bertharius Abbatis munere ab anno octingentesimo quinquagesimo sextoungebatur. Isque in

*Mabil. Act.*  
p. 464.



in Ecclesia exornanda totus fuit, & me-  
 mor periculi, quod Monasterium sub <sup>Sæculum IX.</sup>  
 Bassacio Antecessore suo subierat, cum <sup>A. C. 884.</sup>  
 nihil propius esset, quam ut a Saracenis <sup>Sup. Lib.</sup>  
 caperetur, muris & turribus, ut arces <sup>XLVIII.</sup>  
 solent, Asceterium munivit, & circa Cel-  
 las inferiores urbem ædificare cœpit.  
 Sed tanta cura vim Saracenorum prohi-  
 bere non potuit. Qui collectis spoliis  
 triumphantium more in castra sua ad Li-  
 rim posita redierunt; Monachi vero re-  
 liqui, auferentes, quæ poterant, de the-  
 sauro & tabulis Monasterii Teanum se  
 receperunt, sub cura Angelarii, Præpo-  
 siti sui, quem Abbatem sibi elegerunt,  
 commorantes in Cella seu Prioratu, a  
 multo jam tempore fundato, & S. Bene-  
 dicto sacro. Haud diu postea Angela-  
 rius Episcopus Theaninus electus est;  
 S. Bertharius vero vigesima secunda O-  
 ctobris honore Sanctis Martyribus debi-  
 to colitur.

## §. XLVIII.

*Hadriani III. obitus. Stephanus VI.  
 Papa.*

**H**adrianus III. Papa Antecessoris sui  
 vestigiis insistens Photium damna-  
 vit. Unde Basilius Imperator, datis ad  
 eum literis, ne quidem a conviciis ab-  
 stinuit; quæ vero non ipsi, sed ejus Suc-  
 cessori *Papeb. cont.*